

die primum ueste purpurea processit, atq; in sella aurea sedit, sacrificanti bis in extis defuit. Vnde quaestio magna de diuinatione argumentantibus, potueritne sine illo uiscere hostia uiuere, an ad tempus amiserit? Negatur cremari posse in ijs, qui cardiaco morbo obierint, negatur & ueneno interemptis. Certe extat oratio Vitellij, qua reum Pisonem eius sceleris coarguit, hoc usus argumento: palamque testatus, non potuisse ob uenenum cor Germanici Caesaris cremari. Contra genere morbi defensus est Piso. Sub eo pulmo est, spirandiq; officina, attrahens ac reddens animam, idcirco spongiosus, ac fistulis inanibus cauus. Pauca eum (ut dictum est) habent aquatilia, ac cetera oua parientia exiguum, spumosum, nec sanguineum, ideo non sitiunt: Eadem est causa, quare sub aqua diu rana & phoca urinentur. Testudo quoque, quamuis praegrandem & sub toto tegumento habeat, sine sanguine tamen habet. Quanto minor hic corporibus, tanto uelocitas maior. Chamaleoni portione maximus, & nihil aliud intus. Iecur in dextra parte est. In eo quod caput extorum uocant, magna uarietatis. M. Marcello circa mortem, cum perijt ab Annibale defuit in extis: Sequenti deinde die geminum repperitum est. Defuit & C. Mario, cum immolaret Vtica. Item Caio principi calend. Ianuarij, cum iniret consulatium, quo anno interfectus est. Claudio successori eius, quo mense interemptus est ueneno. Diuo Augusto Spoleti sacrificanti primo potestatis suae die, sex uictimarum iocinera replicata intrinsecus ab ima fibra reperta sunt: resposumq; duplicaturum intra annum imperium. Caput extorum tristis ostenti casum quoque est, praeterquam in solitudine ac metu. Tunc enim perimit curas. Bina iocinera leporibus circa Briletum & Tharnem, et in Cherroneso ad Propontidem. Mirumque, translatis alio interit alterum. In eodem est fel, non omnibus datum animalibus. In Euboea Chalcide nullum pecori. In Naxo praegrande geminumque, ut prodigij loco utrunque aduenit. Equi, muli, asini, cerui, caprae, apri, cameli, delphini non habent. Murium aliqui habent. Hominum paucis non est, quorum ualetudo firmior, & uita longior. Sunt qui equo non quidem in iecore esse, sed in aluo putent, & cernunt in cauda aut intestinis: Ideo tantam habent amaritudinem, ut a canibus non attingantur. Est autem nihil aliud, quam purgamentum pessimi sanguinis, & ideo in materia eius est. Certe iecur nulli est, nisi sanguinem habentibus. Accipit hoc a corde cui iungitur, funditq; in uenas. Sed in felle nigro insania causa homini, morsq; toto reddito. Hinc & in mores crimen, bilis nomine. Adeo magnum est in hac parte uirus, cum se fundit in animum. Quin & toto corpore uagum, colorem quoque oculis aufert: illud quidem redditum, etiam abenis nigrescuntq; contacta eo, ne quis miretur id uenenum esse serpentium. Carent eo qui absinthium uescuntur in Ponto. Sed rembus, & parte tantum altera intestino, iungitur in cornis, coturnicibus,

phasianis: quibusdam intestino tantum, ut columbis, accipitri, muranis. Paucis autem in iecore. Serpentibus portione maxime copiosum, & piscibus. Est autem plerisque toto intestino, sicut accipitri, miluo. Praeterea in iecore est & ceteris omnibus: uutilus quidem marinis ad multa quoque nobile. Taurorum felle aureus ducitur color. Aruspices id Neptuno & humoris potentiae dicauere: geminumque fuit diuo Augusto, quo die apud Actium uicit. Murium iecusculis fibrae ad numerum lunae in mense congruere dicuntur, totidemque inueniri, quotum lumen eius sit. Praeterea bruma increfcere. Cuniculorum exta in Batica gemina saepe reperiuntur. Ranarum rubetarum altera fibra a formicis non attingitur, propter uenenum, ut arbitrantur. Iecur maxime uetustatis patiens, centenis durare annis, obsidionum exempla prodidit. Extas serpentes et lacertis longa. Cecina Volaterrano dracones emicuisse de extis lato prodigio traditur. Et profecto nihil incredibile sit, existimantibus, Pyrrho regi, quo die perijt, praecisa hostiarum capita reppisse, sanguinem suum lambentia. Extas homini ab inferiore uiscerum parte separantur membranarum, quae praecordia appellant, quia cordi praecedunt, quod Graeci appellauerunt phrenas. Omnia quidem principalia uiscera, membranarum proprijs ac uelut uaginis inclusit prouidens natura: in hac fuit & peculiaris causa uicinitas alui, ne cibo supprimeretur animus. Huic certe refertur accepta subtilitas mentis, ideo nulla est ei caro, sed neruosa exilitas. In eadem praecipua hilaritatis sedes, quod titillatu maxime intelligitur alarum, ad quas sibi, non alibi tenuiore cute humana, ideo scabedi dulcedine ibi proxima. Ob hoc in praelys gladiatorumque spectaculis mortem cum risu traiecta praecordia attulerunt. Subest uenter stomachum habentibus, ceteris simplex, ruminantibus geminus, sanguine carentibus nullus. Intestinis enim quibusdam ab ore incipiens, quadam uia eodem reflectitur, ut sepiæ, polypo: In homine adnexus infimo stomacho, similis canino. His solis animalium inferiore parte angustior: itaque & sola uomunt, quia repleto propter angustias supprimitur cibus: quod accidere non potest ijs, quorum spatiosa laxitas eum ad inferiora transmittit. Ab hoc uentriculo lactes in homine & oues, per quas labitur cibus, in ceteris ille a quibus capaciora intestina ad aluum, hominique flexuosissimis orbibus. Idcirco magis auidi ciborum, quibus ab aluo longius spatium. Iidem minus solertes, quibus obesissimus uenter. Aues quoque geminos sinus habent. Quaedam unum quo merguntur recentia ut guttur, alterum in quem ex eo demittunt concoctione maturata, ut gallinae, palumbes, columbae, perdices. Cetera ferre carent eo, sed gula patientiore utuntur, ut graculi, corui, cornices. Quaedam neutro modo, sed uentre proximam habent, quibus praelonga colla & angusta, ut porphyroni. Uenter solidipedum asper & durus. Terrestrium alij denticulatae asperitatis, alij cancellatim mordacis